An ſit neceſſarium & expediens, quod definiatur ex Cathedra Myſterium Conceptionis Beatæ MARIÆ VIRGINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

I. EDito clandeſtinis typis ſupplici libello congruo tempore præſentando Sanctiſſimo Domino Noſtro Clementi XII. in quo enixè petitur, ut tandem aliquando Sancta Sedes deveniat ad definitionem ex Cathedra Myſterii Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ; multa ſerio præponderanda ſunt, ne in re tanti momenti præcipitanter agatur, ſed ſumma maturitate, ſicuti decet gravitatem negotii. Venerando igitur Myſterium, quod ſanctè, piè, & religiosè venerandum proponitur; ſiſtendum exiſtimatur in examine dubii, *an ſit neceſſarium & expedient*, quod ſupplices preces exaudiantur.

Ut rem ex ſuis principiis agamus duo ſunt præmittenda, unum notitia Pontificiarum Conſtitutionum hactenus ſuper hoc Myſterio emanatarum, alterum brevis hiſtoria Myſteriorum Virginis, quorum ſolemnia celebramus; ſic dignoſcetur, in quo gradu certitudinis Myſteria ſiſtant, & in illis quæ certo, quæ de fide credenda ſunt.

II. Primus ex Pontificibus, qui de Myſterio Conceptionis Conſtitutiones edidit, fuit Sixtus IV. qui in decreto, quod edidit Kalendis Martii anno 1476. & incipit: *Cum per excelſa* inſtituit Feſtum Conceptionis Immaculatæ Virginis Mariæ; & in alio, quod incipit: *Grave nimis* edito pridie nonas Septembris anno 1483. prohibet ſub pœna excommunicationis, ne quis crimen hæreſeos impingat negantibus Immaculatam Beatæ Virginis Conceptionem; quæ decreta fuere confirmata à Sacroſancto Concilio Tridentino, quod in fine ſeſſionis quintæ, in qua definit doctrinam de originali peccato, ſuam mentem ſic explicat. *Declarat tamen hæc ipſa Sancta Synodus, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem: ſed obſervandas eſſe Conſtitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. ſub pœnis in eis Conſtitutionibus contentis, quas innovat.*

Pius V. in exordio Conſtitutionis 114. datæ pridie Kalendas Decembris anno 1570. quæ incipit: *Super ſpecula. Conſiderans non ſine animi ſui dolore*(hoc eſt exordium prædictæ Conſtitutionis)*quoſdam diverſorum Ordinum Regulares, Clericoſque ſeculares omiſſis quæ Divinæ Majeſtatis gloriam, & ſanctiſſimæ Dei genitricis, aliorumque Divinorum venerationem, atque fidelium pietatem promovere poterant, quod Apoſtolus in quibuſdam arguit, languent circa quæſtiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, & contentiones, cæteraque vitiorum monſtra, potiſſimum verò, cum de glorioſæ Virginis Mariæ Conceptione ſermo inciderit, tam pertinaciter pro alterutra parte contendunt, ac ſi de illis dogmatibus eſſet, quæ corde credere ad juſtitiam, ore confiteri ad ſalutem neceſſarium eſt*, innovat prohibitionem Sixti IV. probatam à Concilio Tridentino, & vetat de Conceptione Beatæ Virginis diſputari in popularibus concionibus, vel ubicumque promiſcua virorum & mulierum multitudo convenire ſolet,

let, aut de ea vulgari ſermone ſcribere, & dictare ſub pœnis &c. permittit tamen de ea in Academiis diſcutere, & Capitulis Generalibus, aut Provincialibus, ubi ſcandali occaſio non adſit.

Paulus V. ut ſedaret contentiones, & rixas non ſine offenſa, & ſcandalo plurimorum exortas, & in dies creſcentes, edidit Conſtitutionem anno *1616.* die *6.* Julii & eſt *97.* quæ incipit: *Regis Pacifici*, in qua confirmat conſtitutiones ſupradictas Sixti IV. & Pii V. & tranſgreſſoribus auget pœnas. Quia tamen diſſidia adhuc increbuerant, in alio decreto relato in ſequenti Gregorii XV. prohibuit, ne in quibuſcumque actibus publicis quis audeat aſſerere Beatam Virginem cum peccato originali conceptam fuiſſe.

Gregorius XV. inſurgentibus continuò novis diſſidiis cum deplorabili jactura Charitatis Chriſtianæ, pacis, & tranquillitatis Eccleſiæ ſub die 24. Maii 1622. Decretum Pauli V. extendit etiam ad actus privatos, prohibens ſub graviſſimis pœnis ne in ſcholis & privatis colloquiis, quiſquam audeat aſſerere, Beatam Virginem in peccato fuiſſe conceptam, *exceptis tamen* (ſunt verba Decreti) *quibus à Sancta Sede Apoſtolica fuerit ſuper hoc ſpecialiter indultum.* Et de facto ſub die 28. Julii ejuſdem anni excepit ab hoc decreto Fratres Ordinis Prædicatorum his verbis. *Omnibus & ſingulis dicti Ordinis Prædicatorum Fratribus, ut de cætero in quibuſcumque privatis eorum colloquiis, ſeu conferentiis, inter ſe dumtaxat, & non inter alios de materia ejuſdem Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis diſſerere, & tractare abſque ullo pœnarum in dictis decretis contentarum incurſu, liberè & licitè poſſint, & valeant Apoſtolica auctoritate tenore præſentium licentiam concedimus, & impartimur.*

Alexander VII. anno 1661. ſub die 8. Decembris in Bulla, quæ incipit *Sollicitudo omnium Eccleſiarum* relatis omnibus ſupradictis Conſtitutionibus, illas ad inſtantiam Epiſcoporum, Capitulorum, Eccleſiarum, Regis, & Regnorum Hiſpaniæ confirmat, innovat, & extendit, & ſub pœnis in iiſdem Conſtitutionibus contentis obſervari mandat. Notanda ſunt tamen, quæ in *§.6.* hujus Conſtitutionis, quæ Myſterio Conceptionis eſt cæteris favorabilior, præcipiuntur: *Vetamus tamen Sixti Conſtitutionibus inhærentes, quempiam aſſerere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicèt glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen, aut mortale peccatum incurrant: cum à Romana Eccleſia, & ab Apoſtolica Sede nondum fuerit hoc deciſum: prout nos nunc minimè decidere volumus aut intendimus: quin potius contrariam illam opinionem hæreſis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus eos ſubjecit Sixtus IV. aliique Prædeceſſores noſtri Romani Pontifices, gravioribus aliis pœnis ſubjicimus, quas in contrafacientes huic noſtræ Conſtitutioni ſuperiùs infliximus.*

Clemens tandem XI. anno 1708. ſub die 6. Decembris in Bulla, quæ incipit *Commiſſi nobis &c.* præcipit, ut Feſtum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ de præcepto ubique in poſterum obſervetur.

III. Hæc hucuſque à Summis Pontificibus circa Myſterium & Feſtum Conceptionis Mariæ ſancita fuere, quibus ſanctiſſimis Conſtitutionibus obtemperando fideles, cum ingenti virorum piorum lætitiâ, Myſterium Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ ita celebratur per Or-

Orbem, ut nulla ſit regio, nulla Catholica Civitas, nullum Collegium, nulla Communitas, quæ totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, votiſque omnibus Conceptionem Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ non veneretur: Decreta, & Conſtitutiones Pontificum ſanctè ubique obſervantur; & in ſcholis & ſubſelliis, in familiaribus etiam privatiſque colloquiis Myſterium defenditur & propugnatur: Et ſi pauci ſunt, qui ei non adhærent, obtemperando Pontificiis decretis, ſilentio ſe continent: Quare evenit Eccleſiæ, quod accidit navi diſcipulorum gerenti ejus figuram, quæ dum agebatur motu magno, & maris fluctibus proximè oprimebatur, Chriſtus (Mat. 8.) *Imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna*. Sic Pontifices Chriſti Vicarii inſurgentibus ventis diſputationum, fluctuantibus rixis & contumeliis fidelium cordibus, pacemque, & tranquillitatem Eccleſiæ turbantibus, dixerunt quæ dixit Chriſtus (Marc. 4.) *Tacete & obmuteſcite*, & ceſſarunt rixæ, diffidia, tumultus, & facta eſt *tranquillitas magna*, quæ feliciter in hodiernum diem perſeverat.

IV. Videndum modò an ſtante tranquillitate, qua in præſenti gaudet Sancta Mater Eccleſia ex ſuorum filiorum Religioſa obedientia, ſit neceſſarium & expediens denuò ſuſcitare motus per definitionem Pontificis loquentis ex Cathedra, qua declaretur Myſterium immaculati conceptus Mariæ, *vel ut res de fide, vel ut certa infra fidem, ſed cum certitudine aliqua infallibilis veritatis*. Hæc eſt petitio exhibita, & in terminis expreſſa in ſupplici libello.

Abſit ut ſuſpicemur, viros pietate, doctrina, probitate, & dignitate præclaros non habuiſſe præ oculis niſi majorem Dei gloriam, Virginis Matris honorem, & Eccleſiæ tranquillitatem, tamen illos enixè rogamus, ut ſeriò perpendant, quod quamvis ſupplicantium finis ſit rectus, ſanctus & pius, tamen ſupplicationis ſcopus eo tendit, ut Pontifex definiat quod hucuſque Pontifices definire expediens non cenſuerunt, & præcipuè Alexander VII. qui in ſua celebri Conſtitutione, expreſsè declaravit, ſe noluiſſe, nec intendiſſe decidere, quod adhuc à Sancta Sede non eſt deciſum; & prohibet ſub graviſſimis pœnis, ne quis audeat aſſerere, contrariam opinionem tenentes incurriſſe crimen hæreſis, aut peccati mortalis, aut impietatis. Eo enim ipſo, quod Pontifex definit Myſterium eo modo quo definiri petitur, damnat quod hucuſque non eſt damnatum. Proindèque liberum cuique erit in libris, in Academiis, in publicis & privatis colloquiis inurere cenſuris, probris, & contumeliis viros pietate & doctrina præclaros, Ordines de Eccleſia benemerentes, Priſcos Patres, & Sanctos Eccleſiæ Doctores, qui contrariæ Sententiæ adhæſerunt, quod hucuſque omnes Summi Pontifices vetarunt. Quando enim Sententia opponitur Pontificiæ definitioni declaranti ex Cathedra, rem deffinitam eſſe certam infallibilis veritatis, vel hæretica eſt, vel falſa, vel impia, vel temeraria, vel ſcandaloſa. Rogamus ſupplicantes, ut hæc ſeriò primò perpendant, & poſtea, ſi illis videbitur, ſupplicent. Pontificis erit in ſuis definitionibus à Spiritu Sancto ſemper directi decernere quid in Domino judicaverit juſti & recti pro pace, & tranquillitate Eccleſiæ ſervanda. Interim nos reverentia qua tenemur, exponemus motiva, quibus non putamus nec neceſſariam nec opportunam hujuſmodi definitionem, proteſtando nos

 ſem-

ſemper paratos eſſe, obedire mente, corde, & ore, Pontificiis reſolutionibus.

V. Ut tamen cauſam ex ſuis principiis agamus, præmittendum eſt etiam quod inſinuavimus à principio, nempè brevem Myſterium Virginis hiſtoriam, ut dignoſcatur illorum certitudinis gradus, & diſcutiatur: an ſit neceſſe, & expediens, ut Myſterium Conceptionis cæteris præferatur.

Quamvis decem & ſeptem feſta Beatæ Mariæ Virginis enumerentur in Ordinario Romano, tamen ſeptem ſolùm principalia dicuntur, quia correſpondent ſeptem principalibus Myſteriis Virginis, quæ ſunt Conceptio, Nativitas, Præſentatio, Annuntiatio, Viſitatio, Purificatio, & Aſſumptio.

Tria ex iſtis nempè Annuntiatio, Viſitatio, & Purificatio enuntiantur in Evangelio Sancti Lucæ cap. 1. & 2. ideoque de fide credenda ſunt: eo vel maximè quod ſic annectuntur Myſterio Dominicæ Incarnationis, ut potiùs Chriſti, quàm Virginis Myſteria & feſta dicenda ſint: quarè Feſtum Annuntiationis, olim dicebatur Feſtum Conceptionis Chriſti. Feſtum Purificationis Mariæ, Feſtum Præſentationis Chriſti in Templo, vocatum à Græcis *Hypapanton*, ideſt *Occurſus*.

VI. De cæteris Myſteriis Virginis nullum verbum in ſacris litteris, & in primis Eccleſiæ ſeculis altum ſilentium. Rationem indicant Doctores, qui de Feſtis ſcripſere, quia Eccleſia prioribus ſeculis tota erat in eliminanda Idololatria gentilium, & in extirpandis hæreticorum erroribus, qui dira & impia evomebant contra veritatem Dei, Trinitatem Perſonarum, & Chriſti Divinitatem & humanitatem, quare ſtabiliendæ prius erant veritates Divinæ, quibus innititur Fides, & poſteà prædicanda privilegia Virginis, quibus fovetur devotio. Hinc Tomaſſinus in tractatu de Feſtorum dierum celebratione lib. 2. cap. 20. num. 10. in appendice ad Guietum editionis Venetæ ait: *Verebatur Eccleſia prioribus ſeculis, ne Idololatria, quam evertendam curabat, rurſum inſtauraretur: ea de cauſa Deiparam coluit quidem, ita tamen ne in cujuſquam offenſionem incurreret.....* & paulò poſt ſubjungit. *Poſtquam Neſtorius irâ inflammatus furere cœpit, ac ſi Dei Mater non eſſet, eumque diris devovit Prima Synodus Epheſina: ſibi vitio vertere quiſque viſus eſt parcius Mariam colere. Chriſtiana Religio altas radices egerat, & Idololatria ſublata erat: vulganda potiùs videbatur tantæ Virginis dignitas, atque gloria & obſtruenda ora hæreticorum impiè illam carpentium. Ædes igitur ampliſſimæ conſtructæ ſunt, & ſacræ ſolemnitates inſtitutæ.* Juxta ergò hanc prudentem antiquitatis praxim ſtabilienda eſt epocha publicarum ſolemnitatum Myſteriorum Virginis ad ſeculum Epheſinæ Synodus, quod fuit Quintum Eccleſiæ.

VII. Deveniendo modo ad ſingula Myſteria Virginis, quæ ſternunt viam ad illud Conceptionis, breviſſimè adnotanda ſunt, quæ de Myſteriis Nativitatis, Præſentationis, & Aſſumptionis in hiſtoriis referuntur, cum de aliis tribus Annuntiationis, Viſitationis, & Purificationis nil occurrat dicendum, quia illorum hiſtoria diſtinctè enarratur ab Evangeliſta Luca cap. 1. & 2.

Myſterium Nativitatis Virginis Mariæ ſolemniter celebratur, quia ejus Nativitas ſancta fuit. Mariam fuiſſe ſanctificatam in utero matris ante-

tequam naſceretur, ſine nota temeritatis negari nequit. Jeremias veteris Teſtamenti Propheta fuit ſanctificatus in utero, ipſo dicente cap. 1. ſuæ Prophetiæ Deum ſibi revelaſſe, *quod antequam exires de vulva, ipſum ſanctificavit*. Joannes Baptiſta Novi Teſtamenti pluſquam Propheta, & Chriſti Præcurſor fuit in utero Matris ſanctificatus: Angelus enim dum Zachariæ Patri promittebat filium dixit Lucæ 1. *& Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero Matris ſuæ*. Si ergò Ieremias Propheta, & Joannes Præcurſor fuerunt in utero ſanctificati antequam naſcerentur, non eſt ratio, quare eodem & meliori modo non fuerit ſanctificata in utero, & repleta Spiritu Sancto antequam naſceretur Beatiſſima Virgo Mater Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Verùm tempore Sancti Auguſtini Myſterium hoc adhuc erat abſconditum, nec celebrabatur Feſto particulari; quod deſumitur ex ejus ſermonibus in Feſto Natalis Sancti Joannis Baptiſtæ. Sic enim ſer. 20. quo utitur Eccleſia in lectionibus Breviarii ait. *Poſt illum Sacroſanctum Domini Natalis diem, nullius hominis Nativitatem legimus celebrari, niſi ſolius Beati Joannis Baptiſtæ*. Et ſer. 21. *Natalem Sancti Joannis hodie celebramus, quod nulli unquam Sanctorum legimus fuiſſe conceſſum; ſolius enim Domini & Beati Joannis dies Nativitatis in univerſo Mundo celebratur & colitur*. Tempore ergò Sancti Auguſtini, nempè initio Seculi Quinti Myſterium Nativitatis Virginis ſolemne non erat, occultum erat; quod tamen ut ſcribit Petrus Cællenſis ep. 23. lib. 6. Epiſtolarum; *creſcente fidelium devotione additum eſt præclaris Eccleſiæ ſolemnitatibus*, quod credimus eveniſſe ante ſeculum VII. quia Sergius I. ordinavit litanias fieri in Feſto Nativitatis ab ejus Eccleſia ad illam Sancti Hadriani, ut narrat Pagius in vita ejuſdem Pontificis, & in vita Innocentii IV. qui octavam ejuſdem Feſti conſtituit.

VIII. De Myſterio Præſentationis Virginis non eſt una auctorum ſententia: quidam illud confundunt cum Myſterio Præſentationis Chriſti in Templo, ſumendo præſentationem activè comparativè ad Virginem; paſſivè reſpectivè ad Chriſtum. Tamen juxta univerſalem praxim Eccleſiæ Myſterium Præſentationis Chriſti reſpectivè ad Virginem vocatur Purificationis Mariæ.

Si præceptum & conſuetudo Legis de præſentandis filiis natu majoribus in Templo, fuiſſet etiam de præſentandis filiabus, dici poſſet, Myſterium præſentationis Mariæ eſſe Myſterium purificationis Annæ ejuſdem Matris: ſicut Myſterium præſentationis Chriſti, eſt Myſterium purificationis Mariæ; quia tamen non fuit data lex de præſentandis mulieribus, aliundè quærenda eſt hujus Myſterii ſignificatio.

Auctores ferè omnes illud ſiſtunt in quadam pia traditione, qua ſupponitur Parentes Mariæ dum triennis erat, eam obtuliſſe Domino in Templo; ad ſimilitudinem Annæ Matris Samuelis, quæ Domino obtulit infantulum illi divinitùs datum, ut Deo ſerviret in Templo; ſic Parentes Mariæ præſentarunt Domino ſanctam puellam, Levitis & Sacerdotibus conſignarunt, ut eam collocarent in Aſſeterio pro educatione puellarum propè Templum conſtructo, in quo piè creditur ſolemniter Deo voviſſe Virginitatem ſuam, quarè à Sancto Gregorio Nazianzeno dicebatur *Virginum Prima*, & à Divo Ambroſio *Virginum Vexilliſera*.

 Li-

Libenti animo huic Sententiæ adhærerem, ſi purgaretur à multis fabellis in apocriphis libris enarratis, nempè ſanctam puellam in illo Aſſeteri o permanſiſſe uſque ad annum ætatis quartumdecimum, educatam fuiſſe adinſtar columbæ; nutritam cibo de manu Angeli accepto, & poſteà deſponſatam Joſepho viro juſto, qui per miraculum fuit deſignatus ejus Sponſus: nam virga, quam ſanctus homo tenebat in manibus, floruit, columba, quæ ex eadem exiit, ſuper caput ejus inſedit. Relictis hiſce fabellis, & præſentatione Virginis purgata ab hiſce apocriphis narratiunculis, Myſterium erit Præſentatio Virginis in Templo facta à Parentibus. Feſtum in Oriente antiquum erat: in Eccleſia occidentali celebratum fuit ſeculo decimoquarto cum officio particulari, quod juſtis de cauſis abrogavit Pius V.

IX. Inter Myſteria Virginis illud Aſſumptionis meritò cæteris celebrius eſt, ejuſque ſolemnis dies jure decantatur ab Eccleſia, uti præclara feſtivitas omnium Sanctorum feſtivitatibus incomparabilis, eſt enim Myſterium ſui feliciſſimi tranſitus ab hac lacrymarum valle ad patriam æternæ felicitatis.

Quod mortua fuerit Beatiſſima Virgo, eſto Sanctus Epiphanius Her.78. nec affirmare nec negare audeat, tamen certiſſimum eſt illam obiiſſe: quia ſi mortuus eſt auctor Vitæ Chriſtus in carne, quam ſuſcepit ex Matre; non erat diſpenſanda à lege mortis Mater, quæ filio ſubminiſtravit carnem, ut moreretur in illa.

Ignorantur circumſtantiæ mortis Mariæ, ſicut ignorantur illæ ejuſdem Nativitatis. De cauſa mortis nil certum, undè liberum eſt cuique aſſerere, Mariam mortem ſubiiſſe non ex mortiferis affectionibus corporis, ſed ex plaga amoris, qua vulnerabatur in corde. De tempore, eſto prævaleat opinio, illam obiiſſe anno ætatis ſexageſimo tertio, tamen monumenta deſiderantur, ut quid certi ſtatuatur. De loco tandem ſumus in tenebris, qualis fuerit, & ubi ſit mortua; veriſimile eſt illam obiiſſe Epheſi, ubi Joannes Evangeliſta, cui à Chriſto moriente commendata fuit chariſſima Mater, incolatum poſt mortem Chriſti ſelegit. Quod certiſſimum eſt, & ſine umbra dubietatis clariſſimum, animam ejus ſanctiſſimam ſtatim poſt ſeparationem à corpore evolaſſe ſuper Choros Angelorum ad cœleſtia Regna: & ſi quis hanc veritatem Sole clariorem auſus fuerit impugnare, omni ſeveriori cenſura puniendus erit.

Aliquando apud ſeculorum priorum vetuſtos Patres dubitatum fuit de ejus Reſurrectione ſtatim poſt mortem, & de ejuſdem corporis glorificatione, & aſſumptione in Cœlum: quarè Auctores antiquorum Martyrologiorum agnoſcentes vim nominis *Aſſumptionis*, indicarunt ejus Feſtum nominibus *Depoſitionis*, *Dormitionis*, *Pauſationis*, *& Tranſitus Mariæ*. Hinc piiſſimus Pater Suarez 3. p. qu. 37. ar. 4. diſp. 21. ſec. 2. ingenuè fatetur: *Sententiam Aſſumptionis Virginis in corpore & anima in Cœlum non eſſe de fide, quia neque eſt ab Eccleſia definita, nec eſt teſtimonium Scripturæ, aut ſufficiens traditio, quæ infallibilem faciat fidem; tamen ſummæ temeritatis reus crederetur, qui tam piam, religioſamque ſententiam hodiè impugnaret.*

Ferè omnes Sancti Patres mediæ & poſtremæ ætatis aſſeruerunt Virginem ſtatim poſt mortem reſurrexiſſe, conſumatamque gloriam percepiſſe

per

per ejus Aſſumptionem in Cœlum in anima & corpore. Sanctus Gregorius Turonenſis lib. de miraculis cap. 4. S. Andreas Hieroſolymitanus Cretenſis Epiſcopus Or. 2. de laudibus Aſſumptæ Virginis. S. Gregorius Magnus in Sacramentario, hanc Orationem præfigit recitandam pro Aſſumptæ Virginis Solemnitate, qua utitur Ordo Prædicatorum: *Veneranda nobis Domine hujus diei feſtivitas opem conferat ſalutarem, in qua Sancta Dei Genitrix mortem ſubiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ filium tuum de ſe genuit incarnatum*. S. Ildefonſus Toletanus Epiſcopus ſer. 6. de Aſſumpt. S. Joannes Damaſcenus Or. 2. de Dormitione Deiparæ. S. Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus ſer. 2. de Nat. Virg. B. Petrus Damiani ſer. de Aſſumpt. S. Bernardus de Aſſumpt. Virginis. Hugo à Sancto Victore lib. 3. eruditionis Theologicæ. Petrus Bleſſenſis ſer. 28. de Aſſumpt. D. Thomas 3. p. quæſt. 27. art. 2. Durandus lib. 7. de Divinis Off. cap. 24. Dominicus Soto in 4. diſt. 43. quæſt. 2: art. 1. Melchior Cano lib. 10. de locis cap. 10. & alii ferè innumerabiles.

X. Ultra auctoritates tantorum virorum non deſunt rationabiles congruentiæ pro hac auctoritate tuenda, & omiſſis, quæ fovent pietatem, ſiſtimus in illis, quæ favent veritati.

Fuere aliqui priſcæ ætatis Patres, quos citat doctiſſimus Pater Roncalia in notis ad hiſt. Nat. Alex. tom. 3. ſec. 2. cap. 4. & ſunt Ignatius Martyr, Origenes, Euſebius, & Sanctus Epiphanius, qui autumant mortuos, qui in Chriſti morte reſurrexerunt, apparueruntque multis, iterum ad ſua ſepulcra non rediiſſe, ſed Chriſtum in Cœlum aſcendentem ipſos quoque cum corpore comitatos. Cui ſententiæ ſi Doctores mediæ & ultimæ ætatis adhæſiſſent, grande argumentum erui poſſet pro ſtabilienda Aſſumptione in corpore & anima Virginis in Cœlum: quia privilegium conceſſum corporibus, qui reſurrexerunt Chriſto moriente, non eſſet denegandum Matri, qui Chriſto vitam temporalem dedit, ut moreretur in ipſa. Quia tamen hæc opinio non arridet cæteris Doctoribus, aliundè ſtabilienda eſt veritas reſurrectionis & glorificationis Mariæ ſtatim poſt mortem: Ne tamen præſens ratiocinium in immenſum creſcat, ex multis argumentis unum ſelegimus, quod ad intentum convincens nobis videtur.

Eſt fidei articulus dari reſurrectionem mortuorum, quæ, teſtante Divo Paulo p. Cor. 15. tunc erit, *quando in momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba Mortui reſurgent incorrupti*: Omnes enim & boni & mali, & prædeſtinati & reprobi incorrupti reſurgent: non tamen omnes immutabuntur, quia immutatio ſolis prædeſtinatis eſt reſervata: *Nos enim immutabimur*, ſubjungit Apoſtolus; quæ immutatio conſiſtet, quod corpus, quod modò eſt corruptioni obnoxium, & mortalitati ſubjectum, fiet incorruptibile, & immortale: nam corpus tunc ignobile ſurget in gloria, infirmum in virtute, & animale ſpirituale: tunc enim erimus in corpore qualis eſt nunc Chriſtus: ſicut nunc ſumus in corpore, qualis tunc fuit Adam. Sicut ergo Adam, quia terrenus erat, & nos ſumus terreni; ſic quia Chriſtus modò cœleſtis eſt, & nos cœleſtes erimus.

Hæc Theologia Pauli, quæ fidei eſt, nobis grande argumentum ſuggerit pro ſtabilienda reſurrectione, & glorificatione Virginis ante univerſa-

lem Reſurrectionem. Nam convenientiſſimum eſt, quod gratiæ & privilegia concedenda aliquando toti generi humano præventivè concedantur Matri totius generis humani Auctoris: quia ſicut privilegium ſanctificationis in utero conceſſum aliquibus conveniens fuit, ut concederetur & Virgini; ita illud concedendum omnibus conveniens eſt, ut ſtatim Virgini concedatur. Cum ergò privilegium Reſurrectionis in noviſſimo die futurum ſit omnibus commune, quia *omnes reſurgemus*, & illud glorificationis concedetur prædeſtinatis, quia *nos immutabimur*, conveniens, & æquiſſimum eſt, ut Beatiſſima Virgo ſtatim poſt ejus mortem conſequatur reſurrectionem & glorificationem ſui caſtiſſimi corporis, & diſtinguatur in die ſui feliciſſimi tranſitus, per id quod omnes conſequentur in noviſſimo die. Quare concludendum quod Chriſtus aſcendens ſuper Cœlos præparavit ſuæ caſtiſſimæ Matri immortalitatis locum, ad quem exaltata adoratur ſuper Choros Angelorum in cœleſtibus Regnis.

XI. Hæc præliminaris digreſſio non inutilis, nec incompta reputabitur, ſi conſideretur, illam ſternere viam, ut in ſuo lumine videantur rationes, quibus oſtendemus, non eſſe neceſſarium, nec expediens definire ex Cathedra Myſterium Immaculati Conceptus Mariæ. Ut tamen felicius cuncta dignoſcantur, aliqua etiam breviter ſunt prænotanda pro intelligentia Myſterii Conceptionis.

Conceptio, de qua ſermonem habemus, propter quam tantæ exortæ ſunt diſſenſiones in Scholis, non eſt illa prima, corporea in actu generationis formatio fœtus Virginei, qui paulatim diſponebatur, ut expletis diebus à natura præſcriptis, organiſque corporalibus diſcretus, reddebatur capax, ut animâ rationali informaretur: pro certò tunc capax ſanctificationis & gratiæ non erat, quia carebat animâ rationali, quæ ſola eſt ſanctificationis ſubjectum. Solùm Chriſti Corpus in primo inſtanti ſuæ Conceptionis etiam corporeæ fuit perfectè diſpoſitum, anima rationali informatum, & gratia nedum ſanctificante, ſed etiam unionis plenum: quia in illo indiviſibili inſtanti ſuæ Conceptionis, fuit corpus vivum, hipoſtaticè unitum Verbo; & hoc, ait Divus Thomas 3. p. quæſt. 33. art. p. in O; debebatur agenti infinitæ virtutis, quale fuit Spiritus Sanctus, de quo conceptus eſt, & Perſonæ Divinæ aſſumenti carnem, cui non erat conveniens, aſſumere corpus informe confuſum & mortuum.

Nomen ergò Conceptionis Myſterium ſignificans, de quo tandiù diſputatum eſt, ſumitur pro illo inſtanti, in quo fœtus Virgineus, juxta naturæ leges diſpoſitus, fuit animâ rationali vivificatus, & controverſia vertit, an in illo inſtanti infuſionis animæ in corpore, anima fuerit divinitùs præſervata à contagione originalis peccati.

Siluit hæc controverſia prioribus Eccleſiæ ſeculis, & primus rumor intonuit ſeculo duodecimo occaſione cujuſdam feſti celebrati à Canonicis Lugdunenſibus ſub nomine Conceptionis Mariæ, ad quos Sanctus Bernardus illam celebrem dedit Epiſtolam, quæ eſt in ordine centeſima ſeptuageſima quarta, in qua illos redarguit de novitate *inducendo celebritatem, quam ritus Eccleſiæ neſcit, non probat ratio, non commendat antiqua Traditio*. Crevit rumor, incipiente inter Theologos nova Scholaſtica methodo, & tantum inſonuit ſeculo decimo tertio occaſione

ſione cujuſdam diſputationis, quam Defenſores Immaculati Conceptus autumant factam à celebri illorum Anteſignano Joanne Duns Scoto in Academia Pariſienſi, ut Doctores de Schola tanto æſtu inter ſe digladiarentur, quod ne Charitas Chriſtiana totaliter extingueretur, & Eccleſiæ pax turbaretur, neceſſe fuit, ut Summi Pontifices Eccleſiaſticis, & ſpiritualibus remediis tanto malo occurrerent: quod feliciter evenit, cum hodie nulla ſit rixa, nullum diſſidium, nulla diſputatio de hoc Myſterio, ſed pia & laudabilis veneratio.

His præmiſſis videndum, an hodie ſit neceſſarium & expediens definire ex Cathedra hujuſmodi Myſterium, cui quæſito negativè reſpondendum cenſemus his nixi argumentis.

XII. Neceſſariæ in Eccleſia fuerunt definitiones veritatum ex Cathedra, ſicut & condemnationes errorum, quando ab Hæreticis impugnabatur Fides, vel à pravis Doctoribus labefactabantur mores. Tunc Pontifices ſemper vigiles in cuſtodiendo fidei depoſito, & ſervanda puritate doctrinæ, vel immediatè ex ſe ipſis, vel per Eccleſiam in Conciliis unitam definierunt, quæ definienda erant, & anathemate proſcripſerunt, quæ proſcribenda erant. Hujus laudabilis praxis tota hiſtoria Eccleſiaſtica eſt exemplis referta, ne tamen plus æquo divertamur in ſingulis enarrandis, enuntiabimus aliqua & priſcorum, & recentiorum Eccleſiæ ſeculorum. Arius evomuit blaſphemias contra æqualitatem Verbi cum Patre; Macedonius contra Divinitatem Spiritus Sancti; & Neſtorius contra unitatem Perſonæ Chriſti, & Dignitatem Divinæ Maternitatis Mariæ. Summi Pontifices Sylveſter, Damaſus, & Cœleſtinus in Conciliis Niceno, Conſtantinopolitano, & Epheſino definierunt contra Arium Verbum eſſe *homouſion*, ideſt Patri conſubſtantiale; contra Macedonium Spiritum Sanctum eſſe Deum ſimul cum Patre & Filio adorandum; & contra Neſtorium Chriſtum eſſe unam perſonam duabus naturis unitam, & Mariam eſſe, & debere dici *theotocon*, ideſt Deiparam. Similiter Pontifices poſteriorum ſeculorum damnarunt propoſitiones diſſipantes Eccleſiaſticam diſciplinam, moreſque fidelium. Martinus V. illas Wicleffi, & Joannis Hus. Leo X. Lutheri. Pius V. Baii. Innocentius X. Janſenii. Alexander VII. & VIII. Caſuiſtarum laxorum. Innocentius XI. Michaelis Molinos; & Clemens XI. Paſchalis Queſnelii. Sed ſententia de Conceptione Virginis in originali peccato non eſt error contra fidem, nec contra mores; quia Summi Pontifices, qui ſupra hoc Myſterium Conſtitutiones ediderunt, ſub graviſſimis pœnis vetarunt, ne illa talibus inureretur cenſuris: ergò dicendum eſt, non eſſe neceſſariam definitionem ex Cathedra, quæ reddat ſententiam Immaculati Conceptus certam certitudine infallibilis veritatis.

Hæc fundamentalis ratio corroboratur.

Primò, Definitio alicujus propoſitionis ex Cathedra reddit contrariam erroneam & falſam; ſed hucuſque Pontifices vetarunt hoc poſſe dici de hac propoſitione: Beata Virgo fuit in peccato originali concepta: Ergó non eſt neceſſe, quod Sancta Sedes definiendo, Virginem fuiſſe ſine peccato originali conceptam, declaret ſententiam contrariam erroneam & falſam.

Secundò. Tunc quando Pontifices in Conſtitutionibus locuti ſunt de

Conceptione Virginis, non duxerunt neceſſe, illam tunc definire: ergo nec nunc, quia nihil de novo emerſit, ut ſit neceſſe hodie definire, quod non fuit ante definitum.

Tertiò. De illis veritatibus neceſſariæ ſunt definitiones ex Cathedra, quæ ſunt credendæ de neceſſitate ſalutis; ſed Myſterium Conceptionis ut habemus in exordio Bullæ Pii V. ſupra enunciatæ, non eſt de illis dogmatibus, quæ corde credere ad juſtitiam, ore confiteri ad ſalutem neceſſarium ſit: ergo non eſt neceſſaria ejus definitio ex Cathedra.

Quartò. Sententia, quæ neceſſariò eſt ex Cathedra definienda, debet eſſe conformis Sacræ Scripturæ, vel Traditioni Patrum: hæ enim ſunt regulæ definitionum infallibilis veritatis; ſed ſententia de Immaculato Virginis Conceptu non eſt expreſsè conformis Sacræ Scripturæ, quia auctoritates, quæ in illius favorem adducuntur, in ſenſu litterali hoc non exprimunt, ſed detorqueri debent ad ſenſum accomodatitium, qui non eſt regula definitionum Eccleſiæ. Nec eſt Traditioni conformis, quia de hoc Myſterio primò dubitatum eſt, & in primis Eccleſiæ ſeculis, à quibus Traditio oritur, altum fuit ſilentium de Virginis Conceptione; ergo definitio, quæ petitur, neceſſaria non eſt.

Quintò. Quamvis Pontifices, qui hucuſque ediderunt Conſtitutiones favorabiles Myſterio Conceptionis, habuerint præ oculis omnes & ſingulas auctoritates tum Scripturæ, tum Patrum, quæ conglobantur à petentibus talem definitionem, nunquam tamen illud definierunt; ſignum evidens, quod ſupra illas fundari non poterat definitio: dixerunt ſententiam Immaculati Conceptus eſſe laudabilem, piam, religioſam; inſtituerunt feſtum Myſterii; illud de præcepto celebrandum ſanxerunt; approbarunt Ordinem ſub illius invocatione inſtitutum; elargiti ſunt Indulgentias in die feſto, & quidquid in favorem cederet Myſterii, hucuſque fecerunt. Tamen nunquam ad reſolutionem devenerunt, immo expreſsè dixerunt, ſe nolle, nec intendere illud definire, ut conſtat ex Bulla Alexandri VII. ſupracitata. Quare concludendum, non eſſe neceſſariam definitionem.

XIII. Alio argumento convalidatur ratio ſumendo paritatem ex aliis Myſteriis. Non fuit neceſſaria definitio ex Cathedra Myſteriorum Nativitatis, & Aſſumptionis Mariæ: nullibi enim legitur: ergò multò minus erit neceſſaria pro illo Conceptionis. Illatum oſtenditur ex eo quod notitia illorum Myſteriorum eſt antiquior, & fundamenta, ſupra quæ fundantur, ſunt ſolidiora: Nam Myſterium Nativitatis, ut habemus ex Pagio in Breviario Pontificum ad vitam Sergii I. celebrabatur tempore iſtius Pontificis, qui vixit ſec. VII. eo quia ordinavit fieri Litanias in feſto Nativitatis Virginis. Similiter illud Aſſumptionis ex eodem Pagio in vita ejuſdem Pontificis, referente Florentinio in notis ad Martyrologium Hieronymi, celebrabatur ante tempora Mauritii Imperatoris, ideoque ante finem ſeculi ſexti. Illud verò Conceptionis, ut jam vidimus, primò innotuit ſeculo duodecimo: ergò illa ſunt iſto antiquiora.

Fulciuntur etiam ſolidioribus fundamentis; nam illud Sanctificationis Mariæ, in quo fundatur ejus Sancta Nativitas, habuit exempla in Prophetis novi, & veteris Teſtamenti: at iſtius Conceptionis nullum exemplum, immò contraria lex. Illud verò Aſſumptionis, quoad pri-

vilegium reſurrectionis poſt mortem, in noviſſimo die erit omnibus commune: *omnes reſurgemus*; & quoad illud glorificationis corporis, erit & iſtud omnibus Prædeſtinatis conceſſum *nos immutabimur*. At Conceptio ſine culpa originali, nulli hominum fuit conceſſa, nec ulli concedetur, cum ſit propria Chriſti Salvatoris noſtri ex Spiritu Sancto concepti: Ergò ſi pro Myſteriis Nativitatis, & Aſſumptionis eſto antecellant in antiquitate, & in fundamentis Myſterium Conceptionis, non fuit neceſſaria definitio ex Cathedra, nec etiam erit pro iſto.

XIV. Poſſet reponi neceſſariam non fuiſſe definitionem pro illis Myſteriis, quia de illis nunquam fuit dubitatum, & fideles illa ſemper venerati ſunt.

Præſcindendo, an de hiſce Myſteriis aliquando fuerit dubitatum, & præcipuè de principaliori quod eſt illud Aſſumptionis Virginis in corpore & anima, de quo videri poterunt auctores tractantes de Feſtis, & deſcribentes Vitas Sanctorum: ex inſtantia, quæ nobis objicitur, eruimus fortè argumentum pro validitate noſtræ aſſertionis.

Quando dubitatum fuit de Conceptionis Myſterio, & Doctores digladiabantur adinvicem pro alterutra parte non ſine gravi fidelium ſcandalo & jactura charitatis & pacis Chriſtianæ; Pontifices omnes, qui per varias Conſtitutiones conati ſunt tanto malo occurrere, nunquam definitioni dederunt manus. Prohibuerunt utrique parti, ne probris, injuriis, & cenſuris ſe gravarent adinvicem. Sanxerunt non eſſe diſputandum publicè coram populo, & vulgari ſermone; vetarunt etiam loqui de illo in privatis colloquiis; nunquam tamen ad deciſionem pro una vel altera parte venerunt. Immò Alexander VII. in ſua Conſtitutione, quæ pro Immaculata Conceptione eſt cæteris favorabilior, expreſsè declarat Myſterium nondum fuiſſe à Sede Apoſtolica deciſum, & ſe per ſuam Conſtitutionem nolle, nec intendere decidere: Si ergo dum dubitabatur de Myſterio, & in fervore diſputationum Pontifices cenſuerunt, non eſſe neceſſariam definitionem, quare hodie dicenda eſt neceſſaria?

XV. Quis dicet, Sedem Apoſtolicam tunc ferventibus diſputationibus, prudenti conſilio non definiviſſe, ne majora ſcandala inter ſuos orirentur; modò verò quia omnia ſunt in pace compoſita, ut augeatur cultus Mariæ, & magis in dies firmetur erga eamdem devotio, nedum opportunum, immò neceſſarium eſſe quod definiat?

Injurioſa profectò reſponſio libertati Eccleſiæ, & zelo Summorum Pontificum. Quandonam Sedes Apoſtolica perterrita, diſtulit reſolutiones definitionis veritatum fidei, & puritatis doctrinæ urgente neceſſitate? Pontifices omnes zelo Dei ferventes impavidè, & ſine morâ ſanxerunt, quæ ſancienda erant, & definierunt, quæ definienda erant pro veritate. Siſtamus in Myſteriis Virginis Mariæ. Quando Neſtorius virus ſuum evomuit contra Divinam Maternitatem Mariæ, Cœleſtinus Papa nihil territus de dignitate Patriarchali, qua inſigniebatur, de ſequela Epiſcoporum, qui ipſi jungebantur, & de Patrocinio Imperatoris Theodoſii, qui favebat Hæretico; ut cognovit Mariam blaſphemari in Oriente, Romæ proſcripſit blaſphemias, deinde juſſit, ut Epheſi uniretur in Concilio Univerſalis Eccleſia, & ſpectantibus omnibus impavidè definitum fuit, Mariam eſſe, & dici debere, Matrem nedum

 Chri-

Chriſti, ſed etiam Dei, & ut ejus dignitas dilaniata ab Hæreticis, ab univerſis fidelibus totis futuris temporibus repararetur, ſtatutum, ut Salutationi Angelicæ adderentur illa dulciſſima verba *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis*. Hæreſiarca cum aſſeclis anathemate percutitur, ejicitur è Cathedra Patriarchali, & declaratur excommunicatus. Dabatur neceſſitas definiendi illam Catholicam veritatem, ſtatim, ſine hæſitantia, palam, totâ ſpectante Eccleſiâ fuit definita; ſi ergò ſtrepentibus diſputationibus, Doctoribus hinc inde vagantibus pro utraque ſententia, Sedes Apoſtolica nihil de hoc Myſterio hucuſque ex Cathedra definivit; immò Summi Pontifices, qui in ea ſedent, expreſsè dixerunt ſe nolle, nec intendere definire, cenſendum eſt, non judicaſſe tunc neceſſariam hanc definitionem; & ſi tunc non erat, multò minus nunc, quia cultus Virginis eſt undequaque firmatus, Deo benedicente, creſcit in dies, totuſque mundus fidelis celebrat, & veneratur feſtum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ. Per definitionem, quæ petitur poſſet turbari, & imminui, ſurgent diſputationes, tranquillitas Eccleſiæ turbabitur, auctoritas Pontificis impugnabitur, aliaque ſequentur incommoda, quæ ex dicendis patebunt. Quare concludendum eſt talem definitionem neceſſariam non eſſe.

XVI. Quamvis ſecunda pars reſolutionis oriatur ex prima, quia in graviſſimis cauſis Eccleſiæ, ubi auctoritas exercetur, quod non eſt neceſſarium, nec eſt expediens. Non enim poteſtas ſuprema Principis eſt experienda, niſi urgente neceſſitate, & quando aliter fieri non poteſt, tamen particularibus rationibus oſtendemus definitionem petitam non expedire. Antequam autem rationes proponantur, præmittenda eſt ſequens hiſtoria facti.

Tempore Concilii Baſileenſis fervebant diſputationes, & pro utraque parte ſcripta divulgabantur, per quæ mentes fidelium hærentes, quid credendum, quid ſentiendum de Conceptionis Myſterio, neſciebant: Quare Patres Concilii inter graviſſima negotia, quæ tractanda erant, hoc non negligebant, imò præ oculis habebant. Ut tamen in re tam gravi firmo incederent pede, Legati Pontificis, & Concilii Præſes demandarunt Fratri Joanni de Turrecremata, tunc Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, ut pro rei veritate ſtatum controverſiæ aperiret pro relatione facienda coram toto Concilio: obtemperavit Religioſiſſimus vir, & arduam Provinciam ſuſcepit, incredibili eruditione, & immenſo ſtudio tractatum compoſuit, in quo primò præſcribit regulas teneri ſolitas in definiendis hujuſmodi controverſiis, ſtatum quæſtionis aperuit, difficultates promovit, auctoritates tum Sacræ Scripturæ, tum Sanctorum Patrum, unacum rationibus Theologorum collegit, plenè, & ſuperabundanter ſatisfecit principalioribus objectionibus Joannis de Segobia exadversó ſcribentis, relictis levioribus, & non ad rem pertinentibus; & tandem petit veniam, ſi non pro voto ſapientiſſimorum Patrum ſcripſerat, & rogat, ut quæſtioni excitatæ, vel excitandæ ponatur finis; obtemperaturus religioſè definitioni, quæcumque fuerit.

Dum hæc meditabatur ſapientiſſimus vir, ſupervenientibus graviſſimis negotiis pro adventu Græcorum ad Concilium, per organum, ut ipſe ait, Cardinalis Sancti Angeli Legati Pontificis, & Concilii Præſidis ſignificatum illi fuit: Patres eſſe occupatos in urgentioribus negotiis, ideo-

ideòque differendam eſſe relationem, quam paraverat. Acquievit Religioſiſſimus Pater, nec fuit Concilio moleſtus, ſemper paratus pro adimplenda Provincia ſibi demandata, quandocumque opportunum Patribus viſum fuiſſet.

Orta tandem graviſſima, & ſcandaloſa diſſenſione inter Patres Concilii, & Eugenium Pontificem, Legati & Præſes receſſerunt, quibus ſe adjunxit Turrecremata cum aliis piis viris, & omnes ad Sanctam Sedem fidei Magiſtram ſe contulerunt. Quare Concilium utpote à ſuo Capite ſciſſum, pro diſſoluto, acephalo, & Conciliabulo à viris probis eſt habitum. Inſoleſcentibus in dies Patribus diſſidia Baſileæ excitantibus, culmen iniquitatibus poſuere: citarunt perſonam Pontificis ad comparendum Baſileæ ſtatuta die; ſuſpenſum primò, & poſtea privatum Sede declararunt, & tantum crevit audacia; quod ad electionem novi Pſeudo-Pontificis devenerunt, quare juremerito non dicebatur amplius Concilium Eccleſiæ, ſed Conciliabulum Diaboli, Sathanæ ſinagoga.

Mirandum ſanè quod pro tuenda ſententia Immaculati Conceptus, adſeratur decretum Baſileenſis Concilii efformatum ſeſſ. 36., in qua erat jam diſſolutum, & à nullo ex Catholicis dicatur legitimum, immò à Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 11. declaratum ſchiſmaticum, ſeditioſum, & nullius auctoritatis. Mirandum magis, quòd Patres, qui condiderunt illud decretum, honorificentur nomine *graviſſimorum Virorum, & Prælatorum*, cum tunc rebelles, ſchiſmatici, & excommunicati fuiſſent.

Tranſlato auctoritate Pontificis primò Ferrariam, deinde Florentiam Concilio, non legimus Joannem de Turrecremata exhibuiſſe Patribus ſuam relationem, nec legimus aliquid ſancitum ſupra Conceptionis negotium.

Leoni X. celebraturo Romæ Concilium Lateranenſe inſtabatur pro finienda per definitionem controverſia Conceptionis. Prudentiſſimus Pontifex, ne quid inconſultò in re tanti momenti deliberaret, demandavit Cardinali Cajetano, ut ſenſum ſuum in Domino aperiret: paruit ille, & ſcripſit Opuſculum, quod eſt primum in ordine Tomi ſecundi, in quo ſtatum controverſiæ tanta claritate aperuit, & tanto robore firmavit, ut Pontifex in Concilio nec illam proponere cogitaverit.

Tandem Paulus III. Concilium Tridentinum indixerat, & dum omnia in ſilentio quieſcerent, ut ait Fr. Albertus Duimius in præfatione ad Turrecrematam, rumor invaluit, quod in proximè celebrando Concilio, reſolvenda erat quæſtio de Conceptione Virginis, an eſſet Immaculata, necne? Frater Bartholomæus Spina Piſanus, tunc Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, ne actum ageret, conſentiente, & favente Pontifice, expenſis Joannis de Toledo Cardinalis Sancti Clementis, Romæ typis Antonii Bladii anno 1547. publici juris fecit ſcriptum Joannis de Turrecremata ſub hoc titulo: *Tractatus de veritate Conceptionis Beatiſſimæ Virginis, pro facienda relatione coram Patribus Concilii Baſileæ anno 1427. menſe Julio de mandato Sedis Apoſtolicæ Legatorum eidem Sacro Concilio præſidentium, compilatus per Fratrem Joannem de Turrecremata &c.*

Quæ in Concilio patrata ſunt, legimus in fine decreti ſeſſ. 5. & enuntiavimus ſupra: declaravit ſolùm, quod in illo decreto, in quo agebatur de ori-

originali peccato, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem; ſed ſolùm præcipit, obſervandas eſſe Conſtitutiones Sixti IV. ſub pœnis in eiſdem contentis, quas innovat. Ex quo clariſſimè conſtat nec Concilium Tridentinum voluiſſe controverſiam decidere, ſed illam reliquiſſe in ſtatu, in quo reperiebatur tempore Sixti IV.

Ex hac facti hiſtoria in favorem reſolutionis grande argumentum deſumitur. Tria Concilia Florentinum, Lateranenſe, & Tridentinum, expedire non judicarunt definiendum eſſe Myſterium Immaculati Conceptus Virginis. Hoc idem cenſuerunt Pontifices omnes, qui poſt illa Concilia clavum Eccleſiæ tenuere. Et præcipuè Urbanus VIII. qui ſub initio Pontificatus à Duce Complutenſi Oratori extraordinario Regis Hiſpaniarum enixè rogatus, ut Myſterium Conceptionis decideret, & quamvis ſupplices preces adjutæ fuiſſent litteris Imperatoris, Regum & Reginarum Galliæ & Poloniæ, Principum & Electorum Sacri Romani Imperii, tamen Sapientiſſimus Pontifex preces non exaudivit & deciſionem negavit. In munere Oratoris Ordinarii ejuſdem Regis ſucceſſit Comes dictus de Ognate, qui rem reaſumpſit uti præcipuum ſuæ Legationis negotium, ſubtiliſſimis artibus illud tractavit, petendo primò quod concederetur facultas recitandi Officium Conceptionis compoſitum à Leonardo Nigarolo, quod juſtis de cauſis Sanctus Pius V. juſſerat diſpungi à Breviario Romano; deindè quod ſaltem concederetur, quod in Sacris faciendis Viri de Eccleſia uterentur Verbo Immaculatæ Conceptionis, quæ petitio aliquibus Cardinalibus videbatur congrua, & erant in voto poſſe concedi, tamen Pontifex validiſſimis rationibus oſtendit non expedire à Sede Apoſtolica relaxari decretum, ex quo argui poſſet, quod directè, vel indirectè Myſterium fuerit definitum, & cenſuit ſtandum eſſe Conſtitutionibus ſuorum Prædeceſſorum.

Replicatis ferventiori ſtudio inſtantiis à Philippo IV. Hiſpaniarum Rege, qui ut oſtenderet, quanti faceret negotium, ſpecialem Oratorem miſit Alexandro VII., ut enixis precibus nomine Regis, omniumque Epiſcoporum, piorumque Virorum Hiſpaniæ Regnorum, peteret quæ petierat Urbano, & concederet quod ipſe negaverat; poſt maturas diſcuſſiones, ferventeſque orationes ad Divinam opem in re tam gravi impetrandam, ipſa die Conceptionis Virginis ſacra poſt celebrationem Miſſæ, propria manu Bullam conſcripſit, eamque publicavit, tamquam quid maximum, quod in favorem Myſterii facere decreverat, in qua tamen rotundis verbis expreſſit, *ſe nolle, aut intendere decidere, quod ab Apoſtolica Sede nondum deciſum fuerat*. Quomodò ergò petitur hodie, quod definiatur ex Cathedra controverſia tam gravis, & dicatur ſufficere Congregatio paucorum deſtinanda ad nutum Pontificis? Mirum profectò, quod à Congregatione paucorum expectetur definitio ex Cathedra, quæ reddat rem certam certitudine infallibilis veritatis, quando hoc non expedirè cenſuerunt Pontifices omnes, etiam quando univerſalis Eccleſia erat in Concilis Generalibus congregata. Enuntientur rationes.

XVII. Primò hæc Definitio non expedit Eccleſiæ. Norunt omnes Orthodoxi Theologi inter principia, ſeù locos Theologicos, quibus Eccleſia utitur in ſtabiliendis veritatibus, & profligandis erroribus, enumerari

& il-

& illud, quod nuncupatur *Auctoritas Patrum*. Hoc totis viribus enervare conantur hæretici, Lutherus, Rivetus, Dallæus, & noviſſimè Picininus. Unum ex argumentis, quo illud impugnare nituntur, eſt Sententia quaſi concors Patrum contra definitionem Eccleſiæ (ſic illam vocant) in puncto Conceptionis Virginis, & aſſerunt Cathalogum Patrum videndum apud Natalem Alexandrum ſec. 11. diſ. 16. §. 21. in quo notantur quamplures Patres, qui aſſeverarunt, Beatam Virginem in peccato originali fuiſſe conceptam; & tamen hoc non obſtante dicunt, quod Eccleſia definivit contrarium, quod probant inanibus rationibus, inter quas una eſt, quia permittit & præcipit celebrari Feſtum Conceptionis: ergò, dicunt, Auctoritas Patrum utpotè diſcors à definitionibus Eccleſiæ non eſt locus Theologicus. Ità Rivetus ſuum tuetur errorem, & Picininus in ſua Apologia, & in Triumpho debacchatur, exiſtimans per celebrationem Feſti Conceptionis fuiſſe definitum Myſterium: Hinc inſultat Alexandro VII. tanquam ſibi contradicenti, ex quo in ſua Conſtitutione dicat, ſe nolle Myſterium decidere, & poſteà approbando feſtum, illud decidit; hoc eſt, impudenter ait, decidere, & non decidere; non decidere verbis, & decidere facto, quod eſt ſibi contradicere.

Huic hæreticorum objecto concors Theologorum reſponſio eſt, quod quamvis Eccleſia adhæreat opinioni dicenti, Virginem fuiſſe ſine culpa originali conceptam, tanquam probabili, piæ & Religioſæ, nunquam tamen Myſterium definivit, uti Pontifices omnes in ſuis Conſtitutionibus proteſtantur, quarè Auctoritas Patrum in ſuo robore perſeverat, quia adhæſio piæ Sententiæ, non eſt ejuſdem definitio.

Ad objectum Picinini inſultantis Pontificem, & deridentis Theologos, Primò reſpondit Bellarminus, qui ſibi idem argumentum objecit tanquam ab hæreticis illius temporis adinventum, oſtendendo celebrationem Feſti Conceptionis non eſſe definitionem Myſterii hiſce verbis in tom. 2. Contr. lib. 3. cap. 16. *Fundamentum hujus Feſti præcipuum non eſſe Conceptionem immaculatam, ſed ſimpliciter Conceptionem Matris Dei futuræ. Qualiſcumque enim fuerit illa Conceptio, eo ipſo quod Conceptio fuit Matris Dei, ſingulare gaudium affert Mundo ejus memoria. Tunc enim primum habuimus pignus certum Redemptionis, præſertim cum non ſine miraculo ex Matre ſterili concepta fuerit. Itaque hoc Feſtum etiam illi celebrant, qui putant Virginem in peccato conceptam.* Ex quo clariſſimè conſtat celebrationem Feſti longè diverſam eſſe à definitione Myſterii.

Confirmatur ex eo, quod Officia, Miſſæ, & Feſta non ſemper celebrantur ab Eccleſia in argumentum Fidei, ſed celebrantur etiam in teſtimonium & profeſſionem pietatis. Quot Feſta Beatæ Virginis celebrantur per annum? uſque ad decem & ſeptem enumerantur in Ordinario Romano; & tamen quis dicet Feſta Roſarii, Carmeli, Sanctæ Mariæ de Mercede &c. Immo & Feſtum Præſentationis, deſignare illa Myſteria eſſe de Fide? Hinc Natalis Alexander ſec. 11. diſ. 16. §. 21. eruditè advertit in quibuſdam antiquis Martyrologiis Romano, Uſuardi, & Addonis indicari Feſtum Conceptionis Sancti Joannis Baptiſtæ, quin ex hoc dici queat, Sanctum Joannem fuiſſe ſine culpa originali conceptum. Poterit ergò celebrari Feſtum Conceptionis Mariæ, præciſa de-

definitione Myſterii. Decipiuntur ergò Hetherodoxi arguendo definitionem Myſterii ex celebratione ejuſdem Feſti. Quarè locus Theologicus ex Auctoritate Patrum illæſus ſubſiſtet, eſto Pontifices præceperint celebrari Feſtum Conceptionis Mariæ.

Cardinalis Gotti in ſuo Opere italico, cui titulus *la vera Chieſa*, ut Picinum in ſua audacia confundat, utitur reſponſione Cardinalis Bellarmini, & advertit pro confirmatione, quod Clemens XI. in Bulla qua ſanxit Feſtum Conceptionis celebrari de præcepto ab univerſis Chriſtifidelibus, ne diceretur per illam deciſiſſe Myſterium, & non in idem venire inſtitutionem Feſti, & definitionem articuli, appoſitè titulum Conſtitutionis ſic diſpoſuit: *Ut Feſtum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ de præcepto ubique inpoſterum obſervetur*. Ubi ſerlò animadvertendum non dixiſſe, *ut Feſtum Immaculatæ Conceptionis*, *ſed ut Feſtum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ*, ut oſtenderet Verbum *Immaculatæ* non cadere ſupra Conceptionem, ſed ſupra Virginem Mariam, confirmando quod diximus, Feſtum eſſe quid diſtinctum ab Articulo. Hinc notanda eſt particularis notitia, quod cum extrà Urbem in quadam Italiæ Civitate impreſſa fuiſſet Conſtitutio ordine inverſo, nempè ſub hoc titulo: *Ut Feſtum Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ*, indoluit Pontifex, & ſub die 12. Octobris 1709. loci Ordinario commiſit, ut acriter moneret illos, qui huic alterationi deerant manus, & juſſit ſupprimi impreſſionem vitiatam.

Ex hac facti ſerie deducitur dari definitionem petitam non eſſe expediens Eccleſiæ; quia cum ex reſponſis hucuſque datis, quod Articulus non eſt definitus, ſtabiliatur in Eccleſia locus Theologicus in Auctoritate Patrum fundatus, & vindicetur à convitiis hæreticorum, data definitione ruet reſponſio noſtrorum Doctorum, & ſtabilietur hæreticorum objectio; quare concludendum dari definitionem petitam non eſſe expediens Eccleſiæ.

XVIII. Secundò non expedit auctoritati Pontificum. Definitiones ex Cathedra, quoad ea quæ ſunt fidei, & morum, ſunt infallibiles: ita affirmant Orthodoxi Theologi contra Heterodoxos. Hæc autem infallibilitas oritur ex eo, quod ſupremus Controverſiarum fidei, & morum Magiſter & Judex Pontifex Romanus ſuper ſpecula poſitus videt, & agnoſcit veritatem & doctrinam definiendam, eſſe conformem regulis definitionum; nempè Verbo ſcripto, quod eſt Sacra Scriptura, aut Verbo tradito; quod eſt antiqua Traditio, ex Cathedra pronunciat, definit & ſtatuit hoc, vel illud eſſe de fide credendum, hanc vel illam propoſitionem eſſe veram vel falſam; hanc vel illam doctrinam eſſe certam certitudine infallibilis veritatis. Ut autem Pontifex hoc ſupremum ſuæ auctoritatis oraculum pronuntiet, ſeriò & diligentiſſimè, ſivè per ſe, ſivè per ſuos Theologos aſſeſſores examinare conſuevit, an Articulus definiendus ſit conformis illis duobus principiis Sacræ Scripturæ, & Traditionis, an concordet cum Doctrina Eccleſiæ, & Sanctorum; & tunc tuto & ſecurus procedet, poteritque ex Cathedra pronuntiare Decretum. At Myſterium Immaculati Conceptus Mariæ, quamquam hucuſque ſit habitum tanquam pium, laudabile, & religioſum; nunquam tamen poſt tot ſeculorum curſum fuit approbatum, tanquam conforme Scripturæ, & Traditioni; ideoque Pontifices omnes, &

Con-

Concilia hucuſque definitionem continuerunt, ne illorum infallibilitas dubietati ſucumberet; & in controverſiam veniret: quarè dicendum, definitionem facere non expedire Pontifici; eo vel maximè hiſce miſerrimis temporibus, in quibus Hæterodoxi omnes, & Theologi ſuſpectæ Doctrinæ continuò hanc auctoritatem pulſant, & tanquam ſcopum ad ſagittam exponunt. Quarè ſi in ſeculis anteactis, nunquam credita fuit opportuna definitio talis Myſterii, multò minùs eſt hodiè credenda opportuna. Teneamus quæ poſſidemus, ne per novas definitiones, calumniam patiantur poſſeſſa.

XIX. Tertiò tandem hæc definitio non videtur expedire ſingulis Chriſtifidelibus. Pax & concordia toto conatu eſt inter fideles ſervanda, ab ipſa omne bonum; Hinc Pontifices omnes zelo ſervandi inter ſuos tale bonum, in ſuis Conſtitutionibus pro Myſterio Conceptionis emanatis, ſub graviſſimis pœnis vetarunt, ne quis audeat alterutram ex ſententiis cenſuris inurere, & continuò uſque ad hodiernum diem pœnas infligunt illis imprudentibus viris, qui è ſuggeſtis, vel in Cathedris, dum Conceptionem Immaculatam Virginis prædicant, aut defendunt, probris, & injuriis ſententiam oppoſitam inſectantur: Si ergò daretur definitio ex Cathedra ſtatuens ſententiam Immaculati Conceptus; certam etiam infra fidem, ſed tamen cum certitudine infallibilis veritatis, quis cohiberet linguas malignantium, ne fieret gladius acutus, & evomeret convitiorum venena contra quoſcumque, qui hucuſque impunè Sententiæ contrariæ adhæſerunt, ſivè ſint Sancti Patres, ſivè Doctores Eccleſiæ, ſivè Scholarum Magiſtri, ſivè Ordines Religioſi de Eccleſia benemerentes? Utrum hoc expediat, judicent piiſſimi viri, qui definitionem exquirunt.

Quod ex definitionibus Pontificis impudentes homines ſæpè anxam ſuſcipiant inſultandi viris probis & ſanctis, non ſunt exquirenda antiquitatis exempla, dùm habemus recens præ oculis. Clemens XI. zelo Fidei, & puritatis Doctrinæ, quo flagrabat, Conſtitutionem dedit, quæ incipit: *Unigenitus*, qua ſanctè & juſtè damnavit centum & unam Propoſitiones Paſchalis Queſnelii. Refractarii, ut de pervicaci inobedientia ſe excuſarent, renuerunt parère Conſtitutioni, quia per illam dicebant damnari doctrinam Divi Auguſtini, & Divi Thomæ de Gratia efficaci. Alii Scholæ Thomiſticæ ſemper infeſti primo palàm, deindè clanculum ſubmurmurabant Thomiſtarum Doctrinam fuiſſe proſcriptam. Huic malo ſtatim occurrit Juſtiſſimus Clemens, aliamque Conſtitutionem edidit, quæ incipit *Paſtoralis*, in qua §.3. dolet de Refractariis, *qui* (ſunt verba Conſtitutionis ſignanda lapillo) *qui ut peſſimæ cauſa ſplendidum patrocinium concilient, præfatæque Conſtitutioni* (Unigenitus) *majorem undecumque invidiam faciant, ſe ab ea ſuſcipienda retardari affirmant, eo quod ſuſpicentur per illam damnari Sententias, atque Doctrinas, quas inſignes Catholicorum Scholæ, abſque ulla cenſura hactenus tenuerunt, ac tradiderunt; cæterùm in hoc ipſo præpoſtero judicio conſuetum calumniandi morem non relinquunt; niſi enim eos excæcaret malitia eorum, ac niſi diligerent magis tenebras, quàm lucem, ignorare non deberent, ſententias illas & doctrinas, quas ipſi cum erroribus per nos damnatis confundunt, palàm & liberè in Catholicis Scholis, etiam poſt editam Conſtitutionem ſub oculis noſtris doceri, atque defendi, illaſque propterea mi-*

ni-

nimè per eam fuiſſe proſcriptas. Hæc ſolertiſſimus Pontifex ſanxit, ut Theologorum Scholas à calumniis Refractariorum, & Malignantium vindicaret.

Non quieſcentibus adhuc perditis hominibus, aliiſque ipſis adhærentibus, & non obſtante tàm ſplendido teſtimonio Pontificis propoſitiones damnantis, adhuc in tenebris ambulantes: Benedictus XIII. ad ſuorum Dominicanorum inſtantiam, ægrè ferentium, tali tetra calumnia denigrari, edidit Breve, quod incipit *Demiſſas preces*, in quo Dominicanos ſuos ſuadet, ut contemnant calumnias intentatas Sententiis de Gratia, præſertim per ſe, & ab intrinſeco efficaci, ac de gratuita Prædeſtinatione, quas hactenùs docuerunt, & hæc aurea verba ſubjungit. *Cum igitur bonis, & rectis corde ſatis conſtet, ipſique Calumniatores niſi dolum loqui velint, ſatis perſpiciant SS. Auguſtini, & Thomæ inconcuſſa tutiſſimaque Dogmata nullis prorsùs antedictæ Conſtitutionis Cenſuris eſſe perſtricta; ne quis impoſterùm eo nomine calumnias ſtruere, & diſſenſiones ſerere audeat, ſub canonicis pœnis diſtrictè inhibemus*.

Tandem Clemens XII. feliciter regnans, quem Deus diù ſervet incolumem, ſtudio pacis, & tranquillitatis Eccleſiæ, & ſuorum Fidelium, à ſolo Spiritu Sancto motus edidit aliud Breve, quod incipit: *Apoſtolicæ Providentiæ officio*, in quo primò dolet *non eſſe diſcuſſas tenebras à diſſenſionis filiis effuſas*; poſteà conqueritur contrà pleroſque, *qui intolerabili pertinacia contendunt Doctrinam SS. Auguſtini, & Thomæ de Divina Gratia efficacia cenſuris Conſtitutionis* Unigenitus *eſſe proſcriptam*: Ideoque mandat, *ne quis ſivè in ſcholis, ſivè in concionibus, ſivè ſcriptis editis, ſivè aliter propoſitiones defendant, aut enuntient, quæ antedictas Novatorum calumnias, firmare ac promovere poſſint*. Indè deſiderio Juſtitiæ & pacis, quo fervet, laudes ſuas, & Prædeceſſorum ſuorum Thomiſticæ Scholæ iterato judicio comprobat & confirmat: *Ità tamen ut nihil detractum ſit cæteris ſcholis Catholicis, quæ diverſimodè à Thomiſtis Divinæ Gratiæ efficaciam explicant*.

XX. Hæc omnia ut paci Eccleſiæ, & tranquillitati Fidelium conſulerent poſt Conſtitutionem *Unigenitus* damnantem Propoſitiones Queſnelii fecère Pontifices. Idem & pejus Virus evoment Malignantes, ſi definietur ex Cathedra ſententia de Immaculata Conceptione Virginis; quis cohibebit eorum linguas, ne dicant SS. Patres, quorum Sententiis replentur Tractatus Cardinalis de Turrecremata, & Opuſculum Cardinalis Cajetani proſcriptos; ne dicant Sententiam Divi Thomæ, qui 3. p. q. 27. art. 2. ad ſecundum expreſsè dicit, *quod Beata Virgo contraxit originale peccatum, ſed à Deo fuit mundata, antequam ex utero naſceretur* eſſe definitioni Eccleſiæ contrariam; ne dicant, Tractatum, & Opuſculum Cardinalium de Turrecremata, & Cajetani, in quibus Controverſia Myſterii Concilio exponitur, & reſpondent rationibus pro parte adverſa exhibitis, eſſe prohibitos; ne tandem dicant Ordinem Sacrum Prædicatorum, qui vivit, & Deo dante in æternum vivet ſub patrocinio ſpeciali Beatiſſimæ Virginis, tenuiſſe ſententiam juſto illi honori contrariam? Hæc impunè profectò dicent, qui non benè ſentiunt de veritate, qui invido corde aliorum bona proſpiciunt. . . . .

Quod ſimilia, imò & majora convitia patientur Viri boni à turbulentis hominibus, quam ſuſceperunt à Refractariis prætextu Conſtitutionis

Uni-

Vnigenitus, palàm oſtenditur ex eo, quod per iſtam damnantur errores aliundè damnati, & in Conſtitutione Pii V. contrà Bajanos, & in illa Innocentii X. contrà Janſenium, qui habentur ut fontes, à quibus emanarunt errores Queſnelii; quare per Conſtitutionem *Vnigenitus* damnatur, quod aliàs in aliis Conſtitutionibus damnatum eſt. At in Conſtitutione, quæ petitur pro definiendo ex Cathedra Conceptionis Myſterio, damnabitur Sententia, quæ hucuſque cenſurari non poterat, immò vetitum erat illam cenſurâ inuri, Sententia quæ à Patribus, à Theologis, à Viris pietate & doctrina illuſtribus impunè patrocinata fuit, Sententia, quam examinare neglexerunt Concilia, definire noluerunt Pontifices. Quarè & propter indemnitatem Eccleſiæ, & propter incolumitatem Pontificum, & propter pacem & tranquillitatem fidelium dicendum eſt talem definitionem fieri nedum non eſſe neceſſarium immò nec expediens.

Hæc & ſimilla incommoda à Supplicantibus jam præviſa credimus, quia petitionem reſtringunt, ad quid minimum dicunt (quod peti poteſt, & quod innegabile illis videtur) nempè quod canonizetur primum inſtans Conceptionis Mariæ, eo fermè modo, quo canonizatur inſtans mortis Servorum Dei.

XXI. Non credimus viros doctos & pios ità hallucinatos fuiſſe, ut credant eſſe quod petunt quid minimum, quando, ſi obtinebitur, eſſet quid maximum conſequi poſſent. Illos utpotè in rebus Theologicis ſatis peritos non latet, Judicium Sedis Apoſtolicæ in Canonizationibus eſſe irrefragabile, & unum è maximis Pontificiæ auctoritatis argumentis. Non latet, inquam, quod qui negat Sanctum ritè canonizatum eſſe Sanctum, inurendus eſſet aliqua Cenſura, quià ſicut de fide eſt Clementem XII. canonicè electum eſſe verum Pontificem, Succeſſorem Petri, Vicarium Chriſti; ità juxtà non paucos Theologos de fide eſt Sanctum Ignatium (exempli gratia) ritè canonizatum eſſe Sanctum. Quando ergò petitur, Sedem Apoſtolicam canonizare primum inſtans Conceptionis Mariæ, petitur judicium irrefragabile ſuper hoc Myſterio, cui contradicere nefas erit. Sicut ergò, ut ex probationibus jam adductis non eſt neceſſaria, nec expediens definitio, ita nec canonizàtio, in idem ferè redunt iſtæ duæ petitiones, quamvis proponantur, ut quid diverſum.

Conſiderandum petimus à Supplicantibus, quod eorum ſupplicatio ſibi videtur contraria, præcipuè in ſupplicatione, qua petitur, ut canonizetur inſtans Conceptionis, eo pari modo quo canonizantur Sancti, & poſteà concluditur, quod pro expediendo tam gravi negotio ſat erit *Congregatio paucorum ad nutum Pontificis deſtinanda*. Quomodò hæc cohæreant adinvicem, judicent Theologi omnes, qui de praxi Eccleſiæ in Canonizationibus ſunt inſtructi. Quot formantur proceſſus, quot Congregationes fiunt pro examine virtutum, quot replicantur pro diſcuſſione miraculorum? His præhabitis antequàm Pontifex ad ſolemne decretum deveniat, & Deo effundit preces, & jejunia premittit, & in publico Conſiſtorio vota ſingulorum Cardinalium exquirit, immò & Epiſcoporum omnium in Urbe degentium. Hæc præmittuntur ad Canonizationem Sanctorum, & illud primum inſtans Conceptionis poterit canonizari præmiſſa ſola Congregatione paucorum? Nollem

quod

quod fervor devotionis nos præcipites redderet in puncto Religionis?

Ut confirmentur hucuſque dicta, rogamus, ut attentè ſequentia conſiderentur. Si de fama Sanctitatis aliquando fuerit de aliquo Servo Dei dubitatum; augentur diligentiæ pro veritate invenienda, teſtes repetuntur, rigoroſiori examini ſubjiciuntur, multiplicantur Congregationes, immò & Conſultores ſuffragia ferentes. Quomodò ergò canonizandum erit inſtans Conceptionis, de quo tamdiù dubitatum fuit, per Congretionem paucorum?

XXII. Advertere etiam debent pro illorum indemnitate ſupplicis libelli Auctores, vel qui illis inſerviere in extenſione ſupplicationis, quod quando enuntiantur propoſitiones à Summis Pontificibus damnatæ, integræ, & non dimidiatæ tranſcribi debent. Enuntiatur in ſupplici libello pag. 7. propoſitio ſeptuageſima tertia ex damnatis à Pio V. contra Bajano hoc modo: *Nemo præter Chriſtum eſt abſque peccato originali; Hinc Beata Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum &c.* Quæ verò ſequuntur Scriptor libelli ſupplicis continuit in calamo, & ſunt verba, quæ propoſitionem vitiant. *Omneſque ejus aſflictiones in hac vita, ſicut & aliorum juſtorum fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.*

Hinc advertatur quod propoſitio antecedens, quæ eſt ſeptuageſima ſecunda, eſt principium, ex quo oritur ſeptuageſima tertia, a qua in iſtam transfunditur error damnandus, dicit enim: *Omnes omninò Juſtorum aſflictiones ſunt ultiones peccatorum ipſorum: unde Job & Martyres, quæ paſſi ſunt, propter ſua peccata paſſi ſunt.* Bajani enim non agnoſcentes, Deum charos ſuos ex miſericordia, & ad augmentum meritorum affligere, ut exerceatur illorum patientia uti in Job, ut experiatur illorum fortitudinem, ut in Martyribus; & ut omnia iſta admirentur in ſua Sanctiſſima Matre, quæ eſt omnium virtutum exemplar, aſflictiones etiam Juſtorum antumant eſſe pœnas, quibus Deus juſtus Judex peccata caſtigat, non advertentes ad id, quod Raphael Tobiæ dixit: *quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te.* (*Tobiæ* 12.) Quare fulmen damnationis non cadit ſupra primam partem propoſitionis ſeptuageſimæ tertiæ, quæ enuntiatur, ſed ſupra ſecundam, quæ ſi non ſtudioſè, faltem inconſideratè occultatur.

XXIII. Dum hæc ſcribebamus præ manibus venit alter ſupplex libellus nomine Theologorum Regis Catholici Clementi XII. porrectus, vel porrigendus, cui titulus: *Humilis deprecatio ad Sanctiſſimum D. N. Clementem XII.* In iſto petitur quod in præcedenti, & ingenti apparatu convalidatur petitio, & quaſi violenter extorquetur. Ultra Bullas Bullarii Romani enuntiantur quamplurimæ auctoritates Sacræ Scripturæ, & Conciliorum, & Patrum quæ ſine numero congeruntur; jam punctum deciſum decantant, cauſamque finitam, ex celebri Bulla Alexandri VII., & ex illa Clementis XI. qua de præcepto inſtituit feſtum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ. Si hæc in facto ſubſiſtunt, quid ultra quærunt? Si rationes, quas congerunt, convincunt, articulum eſſe jam definitum, quare novam definitionem exquirunt? Etſi farrago illa auctoritatum rem uti inconcuſſam reddit; quid opus illam de novo excutere?

Si ſupplicantes non eſſent viri probi, ſuſpicandum foret, quod ex libidine

ne garriendi, & inſultandi Auctoribus, & Scholis, quæ illorum ſententiæ non adhæſerunt, tam enixè definitionem exquirerent. Motivum ſuſpicionis fundatur in ſimili eventu. Quando Clemens XI. per Conſtitutionem *Unigenitus* damnavit propoſitiones Queſnelii, rumor inſonuit in Academiis, & Scholis, damnatam eſſe doctrinam Thomiſticam de Gratia efficaci, & prædeſtinatione gratuita; & quamvis ſatis clarè in Bulla *Paſtoralis* juſtiſſimus Pontifex mentem ſuam aperuiſſet, adhuc non quieſcebant, & neceſſe fuit, ut Benedictus XIII. ad ſuos Dominicanos ſcriberet Breve, In quo illos ſuaderet, ut calumniam contemnerent. Muſſitantibus adhuc, ex quo per revocationem Bullarum ad confirmationem privilegiorum Regularium à Benedicto æditarum, fuit etiam revocata Bulla *Pretioſus*, neceſſe fuit, ut Juſtiſſimus Clemens mentem ſuam, & Prædeceſſorum ſuorum aperiret; ex quo ſperamus obturata eſſe calumniantium ora, & linguas malignantium conficitas. Hoc idem profectò eveniet, ſi poſtquam Alexander VII. in Bulla *Sollicitudo omnium Eccleſiarum*, meritò celebrata uti favorabilior myſterio cæteris, rotundis verbis dixerit, ſe noluiſſe decidere, quod a Romana Eccleſia, & ab Apoſtolica Sede nondum fuit deciſum: Immo potius puniat graviſſimis pœnis cenſurantes opinionem contrariam, ſi inquam, exaudiretur devota ſupplicatio Oratorum, impunè cenſurâ inuretur, quod hucuſqne vetitum fuit cenſurâ inuri.

XXIV. Declamant magno verborum ſtrepitu, quod ſi unquam tempora deſiderarunt accelerationem hujus negotii, præſentia certè ſunt opportuna, & neceſſaria, ut Hydræ Janſeniſtarum frangantur capita, qui exemplo articuli Conceptionis, qui exterius veneratur, & interius negatur, putant poſſe illis permitti intrinſecus non adhærere Pontificiis Conſtitutionibus damnantibus errores Janſenii, & per ſilentium obſequioſum extrinſecus obedientiæ Eccleſiæ ſatisfacere.

At rogamus viros Theologos, ut ſeriò perpendant, aliam eſſe cauſam Janſeniſtarum, & aliam illorum, qui non adhæſerunt ſententiæ Piæ. Janſeniſtæ recedunt dolosè ab obedientia Eccleſiæ per illorum ſilentium fraudulenter nuncupatum obſequioſum, quia Summi Pontifices Innocentius X. Alexander VII. & Clemens XI. expreſsè damnarunt quinque propoſitiones Janſenii etiam in ejuſdem ſenſu: quare Refractariorum obſequioſum ſilentium doloſum eſt, & meritò damnatur à Clemente XI. in Bulla quæ incipit: *Vineam Domini Sabahot*. At Eccleſia, & Summi Pontifices Sixtus V. Pius V. Paulus V. Gregorius XV. Alexander VII. & Clemens VII. qui Bullas de Myſterio Conceptionis edidere nunquam damnarunt ſententiam de Conceptione in peccato originali, immò vetarunt poſſe dici damnatam, ideoque diverſus eſt caſus, & proceditur ab errore damnato ad opinionem hucuſque non damnatam, quare fraudulenter & dolosè exemplum Conceptionis trahitur in favorem obſtinationis & malitiæ Janſeniſtarum. Immò ſi daretur definitio, poſſent emendicare aliquid ſuffragii ex illa, quia dicere poſſent: Eccleſia per multa ſecula contenta fuit de veneratione externa Myſterii quod definivit, cui aliquando fuit licitum ei intrinſecus non adherere.

Ne tamen in his tricis involvamus fideles. Ne quod jam piè colitur, & celebratur ab univerſa Eccleſia, evaueſcat, & ne cultus, qui creſcit in

dies

dies minuatur & refrigeſcat, quod hucuſque non eſt factum, non fiat. Pontifices in ſuis Conſtitutionibus aſſerunt, hucuſque negotium non eſſe definitum, prohibent cenſurari alterutram ſententiam, donec definitio pronuntietur pro una, vel altera parte, ut dignoſcatur in Sede Apoſtolica reperiri poteſtatem definiendi & damnandi, quæ ad fidem & mores attinent. Neceſſitate urgente, opportunitate conſiderata ſemper definivit, quæ definienda, damnavit, quæ damnanda erant. Cum ergo clariſſimè demonſtraverimus, definitionem petitam fieri non eſſe neceſſarium, nec expedire, ideò reſpondendum ducimus ſupplicationi, ſi placuerit illi, cui parere Religio eſt, ſervando ſtylum, quo reſpondetur hujuſmodi libellis ſupplicibus: *Nihil innovandum*, aut *gaudeant Impetratis*.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

LAUS DEO.